

**F**ratres:

<sup>1</sup> **E**st fides sperandórum substántia,  
rerum arguméntum non apparéntium.

<sup>2</sup> In hac enim testimónium consecúti sunt senióres.

[3-7]

<sup>8</sup> Fide vocátus Abraham obœdívit in locum exíre,  
quem acceptúrus erat in hereditátem;  
et exívit nésciens quo iret.

<sup>9</sup> Fide peregrinátus est in terra promissionis  
tamquam in aliéna,  
in cásulis habitádo cum Isaac et Iacob,  
coherédibus promissionis eiúsdem;

<sup>10</sup> exspectábat enim fundaménta habéntem civitátem,  
cuius ártifex et cónditor Deus.

<sup>11</sup> Fide

— et ipsa Sara stérilis —

virtútem in conceptiónem séminis accépit  
étiam præter tempus ætátis,

quóniam fidélem crédidit esse, qui promíserat;

<sup>12</sup> propter quod et ab uno orti sunt,

et hoc emórtuo,

tamquam sídera cæli in multitúdine,

et sicut aréna, quæ est ad oram maris, innumerábilis.

Verbum Dómini.